





DISSERTATIO INAUGURALIS IVRIDICA

DE

**IVRE DOMINI IVRISDICTIONIS  
ALTAE, SVBDITOS DOMINI IVRIS-  
DICTIONIS BASSAE IMMEDIATE, ET SINE HV-  
IVS REQUISITIONE, AD PRAESTANDVM IVRAMEN-  
TVM FIDELITATIS PROMISSORIVM, SEV PROMISSIO-  
NEM FIDELITATIS ET OBEDIENTIAE STIPVLATAM, NEC  
NON AD OMNES IN CAVSIS CRIMINALIBVS OB-  
VENIENTES ACTVS CITANDI**

GERMANICE

Von dem Befugniß des Ober-Gerichts-Herrns, die Unterthanen des Erb-  
Gerichts-Herrns, ohne desselben Requisition zu Leistung des Huldigungs-  
Eydes, oder Handschlags, sowohl auch zu allen bey Ober-Gerichts Fällen  
vorfallenden Verrichtungen vorzuladen, und die erstern von ihnen  
abzunehmen,

QVAM

**CONSENSV ET AVCTORITATE  
MAGNIFICI ICTORVM ORDINIS**

IN ACADEMIA BLECTORALI ERFORDIENSI

PRAESIDE

**DN. HIERONYMO FRIDERICO  
SCHORCHIO, Icto,**

SAC. PAL. CAES. COMITE, IVR. FAC. ASSESS. ET H. T. DECANO, IVR. PVBL.  
PROF. ORDIN. NEC NON CIVITATIS CONSVLE SENIORE,

**PRO SVMMIS IN VTROVQVE IVRE HONORIBVS  
ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS**

RITE CONSEQVENDIS

DIE X. FEBR. MDCCXLIX. H. L. Q. C.

PVBLICAE ERVDITORVM DISQVISITIONI SVBMITTE


AVCTOR

**GEORGIVS GODOFREDVS THYMEVS,**

BEICHLINGO. THVRINGVS,

ADV. ELECT. SAXON IMMATR. ET DTNASTIAE GROBITIENSI PRAEFECTVS,  
NEC NON ADMINISTRATOR IVSTITIAE IN GROSEN IENA.

ERFORDIAE, Typis I. C. HERINGII, ACAD. TYPOGR.




DISCRETIO IN REBUS IURIDICIS

IVRE DOMINI IURISDICTIONIS  
ALTA SVBITO DOMINI IURIS  
DICTIO BASAE IMMEDIATE ET IN HV  
IV RECOGNITIONE AD PRAESERTIM IVRE  
TVM ENDELLIATIS HOMINUM SVB TROM  
MVM ENDELLIATIS ET ORDINEM SVB TROM  
NON SVB OMNIBVS IN CIVITATE IURIS

VENIENS AD IURIS  
SVM ENDELLIATIS  
SVM ENDELLIATIS  
SVM ENDELLIATIS  
SVM ENDELLIATIS

CONSERVARE SVB TROM  
MAGNIFICENTIAM ORDINIS  
IN ADHUC SVB TROM

DN. HIERONYMO FRIDERICO  
SC HONORARIO ICI  
SVM ENDELLIATIS  
SVM ENDELLIATIS  
SVM ENDELLIATIS



ET SVB TROM  
SVM ENDELLIATIS  
SVM ENDELLIATIS  
SVM ENDELLIATIS

GEORGIVS GODFRIDVS THYMVS  
SVM ENDELLIATIS  
SVM ENDELLIATIS  
SVM ENDELLIATIS  
SVM ENDELLIATIS



ILLVSTRISSIMO  
ATQVE  
GENEROSISSIMO DOMINO;  
DOMINO  
OTTONI HEINRICO  
DE BERLEPSCH,

POTENTISSIMI REGIS POLONIARVM,  
ET ELECTORIS SAXONIAE SVMMI PROVOCA-  
TIONVM SENATVS CONSILIARIO, ET AS-  
SESSORI PRAESIDENTI,

COLLEGII STEVRARVM, QVOD CIRCVLO  
THVRINGICO PRAEEST,  
DIRECTORI,

NEC NON  
PRAELECTVRAE LIPSIENSIS  
CAPITANEO,

DYNASTAE IN GROEBITZ, STOESEN,  
ETC.

DOMINO ATQVE PATRONO  
MEO GRATIOSISSIMO  
SACRVM

ILLVSTRISSIME  
ATQVE  
GENEROSISSIME DOMINE,  
DOMINE ATQVE PATRONE  
GRATIOSISSIME!



*M*ulta hucusque expectatione felici illi tempo-  
ris puncto obviam vidi, quo se mihi oppor-  
tuna offerret occasio, ut TIBI, DOMINE  
GRATIOSISSIME, tam gratum meum  
animum, quam integritatem deuotionis, qua TIBI ab  
anno praeterito, usque ad fata mea ultima, deuinctus vi-  
uo, publice testificer.

*Me.*

Memoriam enim beneficiorum verbosa atque indefessa plane lingua Patronis praesentibus in aurem quasi iactare, non solum crimen laesae eorum virtutis atque verecundiae, verum etiam simulatae adulationis quasi epigramma esse censeo. E contrario piam gratamque taciturnitatem, data vero occasione, publicam venerationisque plenam eluctantiam, boni atque ingenui animi testes eram iudico. Quemadmodum enim CICERO hoc saltem summam laudem esse existimat, laudari a viris laudatis: Ita & ego hoc summam reputo gratiam, dicere gratiam & viris virtute conspicuis, & dicere publice, testibus viris prudentibus ac virtute ornatis.

Accipe igitur, DOMINE GRATIOSISSIME, hanc meam grati animi publicam testificationem, pro TVA in dexteritatem meam confidentia, quam mihi per collationem administrationis TVARVM iurisdictionum sat luculento documento probavisti, nec non pro TVA gratiosa approbatione, quam de mea iustitiae administratione hac usque mihi declarasti, denique pro omni TVA gratia, atque benevolentia, qua indignum me obruisti, benevolo animo, fronteque serena.

Con-

Conserues, rogo, qua hucusque me dignatus es. singulari in me propensionem, atque fauorem, de me vero sic habeas, nunquam me esse permissurum, ut ullus alius me in submissa deuotione, fide, diligentia, & attentione in TVVM interesse, quas TIBI debeo, exaequet, nedum vincat.

Caeterum seruet DEVS ter Optimus Maximus TE, Gentemque TVAM, per longam annorum seriem, saluos, atque incolumes, Illustrissimamque TVAM Familiam, prout iam antiquis ab hinc temporibus fuit, & adhuc est, inter Nobilitatem Saxoniam exsplendescentem. Roboret in dies magis magisque humeros TVOS, & Patriae, & iustitiae in salutem atque commodum, ut virtutibus, studiis, atque vigiliis TVIS Reipublicae diu adhuc prodesse possis, id quod ex animo precatur

ILLVSTRISSIMI TVI NOMINIS

*submississimus cultor,*  
GEORGIVS GODOFREDVS THYMEVS.





Q. D. B. V.

§. I.



urisdictionem apud Germanos longe aliam, quam apud Romanos quondam habuit, induisse formam, nemo est, qui ignorat. Peccant igitur, qui Romanorum de iurisdictione doctrinam, nimio antiquitatis Romanae studio magis, quam sobrietate, statui nostro applicare, vel, quod maximum est, obuenientes circa hanc materiam lites, ex Romanorum de iurisdictione principiis decidere non erubescunt. Controversias enim de iurisdictione ex iure Iustiniano componere velle, aequè absolum esse iudicium, ac si latinam, quod tamen pace iuris Romani amatorum dictum sit, ab asino quaerere velis. Absit itaque a nobis, ut probationem atque decisionem thematis, in fronte huius nostri, quale quale sit, speciminis academici propositi, ex doctrina de mero, & mixto Romanorum imperio repetamus, ut potius illam solitarie ex fontibus iuris patrii, atque moribus nostratum hauriendam esse existimemus.

§. II.

## §. II.

Quoniam vero labores nostri publici tractationi nostrae angustos ponunt terminos, nec excurrere in praesenti nobis permittunt, neque de diuersis iurisdictionis apud Germanos speciebus, neque de modo, & ritu iudicium agendi, neque de casibus, ad iurisdictionem altam, & ad bassam pertinentibus, quicquam differemus, sed statim ad ipsam thematis tractationem accedemus, praeprimis, quum non tironibus, sed viris arte peritis scribamus, de quibus perfectissimam morum patriorum, & iuris Germanici scientiam iure meritoque, ex praesumptione quadam iuris & de iure, praesupponimus. Hoc vnicum saltem monemus, diuisionem in iurisdictionem altam & bassam ex diuersa Comitum, & Scultetorum in Germania iurisdictione originem traxisse. Antiquis enim Carolingorum temporibus iudices duplicis erant generis, vel superiores, siue ordinarii, vel inferiores, siue vicarii. Ordinarii mox Comites, vel Grauiones, Grafen, oder Grafen-Richter, item: Missi regii, mox Voigte, Burggrafen vocabantur. Vicarii vero Scultesii, Schultheissen, Ammannen, Centenarii Zent-Grafen audiebant, & pertinebant ad Vicarios, seu Scultetos saltem caussae leuiores; criminales vero ad Comites, seu iudices ordinarios, quae quidem inter hos iudices differentia per gestionem baculi, & gladii significabatur, de quibus primum Scultetus, alterum vero Comes, pro tribunali sedens tenebat.

*Sec. Ordinat. Crim. Car. Art. 82. in verbis: Und er soll auch sitzen, seinen Stab, oder bloß Schwert, nach*

nach ländlichen Herkommen eines jeden Orts, in den Händen haben.

Conf. etiam *Thomasi differtat. de iurisdictionis, & magistratum differentia secundum mores Germanorum §. 64.*

& *Engelbrechi diff. de iurisdictione superiori, & inferiori secundum mores Germanorum Sect. 1. §. 10.*

§. III.

Admodum fuit adhuc controuersa inter Iureconsultos, & celeberrima iudicia thesis nostra. Suprema enim Curia Lipsiensis negatiuam hactenus semper amplexa est, & in casu proposito, quando nimirum dominus iurisdictionis altae, der Ober-Gerichts-Herr, subditos domini hereditarii, des Erb-Gerichts-Herrns, absque huius requisitione, vel ad praestandum homagium, vel etiam in casibus criminalibus, ad ferendum testimonium, praestandas excubias, sequelam, & quae sunt alia, euocauit, ad institutam a domino hereditario actionem, non raro decreuit inhibitionem poenalem, & hoc quidem non solum inter nobiles, iurisdictione patrimoniali ex beneficio, & concessione Principis gaudentes, sed etiam contra praefecturas Electorales, & hinc directe contra ipsum dominum territorialem, de quo Acta publica, & iudicata in causa *Senatus Lipsiensis*, actoris, tanquam domini iurisdictionis bassae in pago *Lebelitz*, contra *praefecturam Delinitzen*, das Amt *Delitzsch*, tanquam dominum iurisdictionis altae, ream, porro in causa *Nobilis de Boeltzig* actoris, contra *praefecturam Sangerbusanam*, ream, nec non nouissime in causa *D. Christiani Gregorii ALTNERI*, Supremae Curiae, & Reuerendissimi Consistorii, quae Lipsiae florent, Assessoris, action,

B

cor-

contra Dominam Christianam Claram Glafeam, Illustris Domini, Adami Friderici Glafei, Potentissimo Regi Poloniae & Electori Saxoniae a Consiliis Aulæ atque Iustitiæ, nec non Archiuarii, vxorem, ream, testantur.

## §. IV.

*Argumenta  
negantium  
reconsentur.*

Non desunt quidem a parte negantium stantibus sat speciosa argumenta, quæ recensere necesse iudico. Primum est, domino iurisdictionis altæ in subditos domini iurisdictionis bassæ, extra delictum, seu priusquam hi deliquerint, plane nullam competere cognitionem, nedum iurisdictionem, 2dum subditos domini iurisdictionis bassæ tandem modo huic, domino vero iurisdictionis altæ plane nullam debere fidem, nec posteriori per se subiectos esse, ideoque 3) cessare ex parte domini iurisdictionis altæ ius, fidelitatem & obedientiam, & per consequens homagium, vel stipulatam earum promissionem, den Handschlag, ab illis exigendi, & hinc etiam ius, illos tam ad hæc, quam ad alia, occasione inquisitionis criminalis obuientia negotia, irrequisito domino hereditario, euocandi. 4) Dominum iurisdictionis altæ saltem esse iudicem extraordinarium; Ordinationem vero Proc. Elect. Sax. recognitam ad Tit. 1. §. 9. disertis disponere verbis, iudicem ordinarium in iurisdictione sua plane non esse turbandum, imo ipsis Praefectis allegato loco in verbis:

Und haben sonderlich die Beamten, wann bey denen ihnen anvertrauten Aemtern, und der deshalb ihnen aufgetragenen ordentlichen Jurisdiction, auffer Commissions-Fällen, die Vorforderung

berung nöthig, solche niemahls ohne Requisition zu bewerkstelligen.

mandari, vt extra casum commissionis subditos iudicis ordinarii nunquam, absque requisitione, ad se trahant, quam dispositionem 5) eo magis ad casus criminales extendendam esse, quo magis verba haec dispositiua sint generalia, & quo minus, simul cum casibus commissionis, casus criminales sint exempti; in casibus vero non exceptis fundetur, & confirmetur regula. 6) Dominis iurisdictionis bassae in casibus criminalibus competere, quae ita dicitur, notionem primam, quae illis absque iniuria auferri non possit, ideoque ex ista dominis hereditariis competente notione prima hoc saltem argumentum prono aluo fluere, quod scilicet, obuenientibus casibus criminalibus, ad sistendos subditos, a domino iurisdictionis criminalis, requirendi sint. 7) Plurimos dominorum hereditariorum allegare posse praescriptionem longissimi temporis, ex quo domini iurisdictionis altae ab ipsorum subditis praestationem iuramenti fidelitatis, vel stipulatae promissionis non exegerint, ideoque dominos hereditarios in praescripta hac possessione non esse turbandos.

§. V.

Tantum negantes, & profecto non sine colore. Ast, age, probemus aliquantum, pro ingenii viribus, haec negantium cornua, & opponamus illis non minus fortia. Tunc enim speramus, fore, vt quilibet prudens, & cordatus censor fracta ea, & argumenta in contrarium multo grauiora sit iudicaturus.

## §. VI.

Argumen-  
tum 1mum,  
2dum, &  
3rium refel-  
litur.

Quod igitur 1mum, 2dum, & tertium negan-  
tium argumentum attinet, valde sapiunt petitionem  
principii. Aequè enim iudici superiori, in casibus ad  
iurisdictionem altam pertinentibus, in subditos com-  
petit iurisdictione, ac domino hereditario illa in causis ci-  
uilibus competit. Iam vero omnis iurisdictione natura  
sua comprehendit cõercitionem, den Gerichts-Zwang,  
sine qua illa nulla est. Quemadmodum igitur haec  
domino hereditario in causis ciuilibus in subditos at-  
tribuitur, ita etiam in causis criminalibus iudici crimi-  
nali non est deneganda. Et, quid amplius? Claræ  
sunt hac de re *L. 2. ff. de iurisdic.* in qua, cui iurisdictione  
data est, ea quoque concessa esse dicuntur, sine qui-  
bus iurisdictione explicari non potest, siue, vti DD. haec  
verba interpretantur, quae ad tuendam iurisdictione-  
nem pertinent, & *L. 5. §. 1. ff. de officio eius, cui mandata  
est iurisdictione*, quae sat explicite in verbis:

*Mandata iurisdictione priuato, etiam imperium videtur  
mandari: quia iurisdictione sine modica cõercitione nul-  
la est.*

rem decidit. Quod si igitur, per allegatas leges, do-  
mino iurisdictionis altae, vi huius iurisdictionis, in sub-  
ditos domini iurisdictionis bassae competit imperium,  
& pro tuenda iurisdictione criminali modica cõercitio,  
sequitur manifeste, illum etiam potestatem habere,  
subditos sibi, quoad iurisdictionem superiorem, ad fide-  
litate, & obedientiam, per homagium, vel nudam  
promissionem, den Handschlag, obligandi, illosque in  
casibus ad altam iurisdictionem pertinentibus, irrequi-  
sito

sito domino hereditario, ad se citandi. Verba enim  
 praedictarum legum: *imperium & coercitio*, cum effe-  
 ctu sunt accipienda, id quod regulae iustae interpreta-  
 tionis iubent. His praemissis, eo luculentius appare-  
 bit, opinionem, subditos iudici criminali ad fidelita-  
 tem & obedientiam, & ad earum promissionem stipu-  
 latam minime obstrictos esse, contra ius in thesi pugna-  
 re. Reclamant enim significantissime *Text. 2. feud. 5. &*  
*WERNH. Part. V. obseru. 67. p. 1021. edit. nouiss.* ubi deci-  
 sum inuenies, praestationem homagii, & multo magis  
 nudaae promissionis stipulatae, vnicuique, qui sub alicui-  
 us iurisdictione degit, incumbere. Tandem *Decisio*  
*Regio Electoralis nouissima VIII.* thesin nostram extra omne  
 ponit dubium, quippe quae iudicem, penes quem tan-  
 tummodo iurisditio alta in loco aliquo est, ad reci-  
 piendum testamentum pro competente declarat. Et  
 dic, quaeso, quomodo iudex superior de praestandis a  
 subditis impensis inquisitionalibus, vigiliis, sequela, &  
 quae sunt alia, securus erit, nisi subditi illi, in casibus ad  
 iurisdictionem superiorem pertinentibus, obedientiam  
 & promittuntur iurato, vel manu saltem stipulata,  
 promittant. Caeterum, quod attinet principium, quod  
 scilicet subditi domini hereditarii domino iurisditio-  
 nis altae, extra casum delicti, plane non sint subiecti, il-  
 lud tam moribus nostris, quam rectae aduersatur ratio-  
 ni. Omnes enim subditi, qui sub iurisdictione alta de-  
 gunt, etiamsi plane non delinquant, ad manifestanda, &  
 denuncianda iudici superiori delicta, ad capiendum delin-  
 quentes, ad prosequendum fugitiuos, ad custodiendum  
 captos, ad formandum, obuenientibus executionibus,

circulum, & ad faciendum omnia, quae iurisdictio alta requirit, & secum fert, obligati sunt. Praeterea, pertinetne, secundum praxin Electoralium Saxoniam, in regula, ius detractus, & ius succedendi in bona vacantia ad dominum iurisditionis altae? Habetne iudex superior potestatem, subditos iurisditioni suae superiori subiacentes, quando officiis suis praedictis defunt, ad haec compellendi? Quis vero, ni hominem desipientem agere velit, dixerit, hic adesse delictum? Et tamen iudici superiori competit facultas de his omnibus cognoscendi, atque iudicandi. Quid? quod iurisdictio alta non conceditur saltem in personas, sed, uti testantur literae investiturae, etiam in aedes, agros, & campos, ubi Hauer, Guther, Grund-Stücke und Fluren, qui modus concedendi vero non solum aduersaretur sanae rationi, si principium negantium firmo scaret talo, quippe qui, tanquam creaturae inanimantes, delinquere non possunt, sed eiusmodi infeudatio etiam ridicula, & plane frustranea foret. Ecquid amplius de hac doctrina, subditos demum per delictum iurisditioni superiori subiici, dicam? Tantum abest, ut fundata sit, ut potius iterum iterumque contra ipsam ius in thesi militet. Solut enim omnia inter dominum iurisditionis altae, & eius subditos intercedentia vincula iuris, tollitque omnes obligationes, atque praestationes, ad quas subditi non delinquentes domino iurisditionis superioris in casibus, ad iurisditionem altam pertinentibus, tenentur. Accedit, quod domino hereditario per praestationem homagii, vel des Hand-schlages, quae domino superiori fit, de obedientia, quam subdi-



subditi ipsi, qua domino hereditario, debent, Germanice: dem Erb-Gerichts-Gehorsam, & huc tendente homagium, der Erb-Gerichts-Huldigung, plane nihil decedat. Sequela enim, ad quam subditi domino iurisdictionis altae tenentur, die Ober-Gerichts-Folge, & huius promissio stipulata, Angelsbniß, a subiectione, qua subditi domino hereditario ligati sunt, dem Erb-Gerichts-Gehorsam, toto coelo inter se differunt, atque ambae ita sunt comparatae, ut commode, & ita, ut altera obligatio alteri minime derogat, vel alteram tollat, simul esse possint. Tandem exactio promissionis stipulatae, domino superioris iurisdictionis faciendae, dominum hereditarium in exercitio inferioris iurisdictionis plane non turbat, nedum impedit, quippe illa non den Erb-Gerichts-Gehorsam, sed saltem die Ober-Gerichts-Folge respicit, quae illam non tollit, imo ne quidem minime laedit. Non habet igitur dominus iurisdictionis bassae, de quo queratur, & hinc deest ipsi ius contradicendi.

§. VII.

Missis his, transeo nunc ad 4tum & 5tum argumentum, quae cum prioribus pari passu ambulant. Taceam in praesenti, Ordinationem Proc. Elect. recognoscitur de causis criminalibus plane non, sed solitarie de causis civilibus agere, ideoque allegatum locum huc trahi, & ad casus criminales extendi non posse. Largiamur potius, Ordinatio Proc. in dicto loco de utrisque casibus disponere; Minime tamen ex hac concessione adversarii palmam reportabunt. Verba enim legis huius dispositivae nulla plane ratione de casu, quando in vno eodemque loco alii iurisdictione alta, alii vero bassa competit,

*Argumentum 4tum, & 5tum describitur.*

petit, intelligi possunt. Alias enim casu interseo aequè concluderet haec dispositio, & peruersa exinde nasceretur consequentia, quod nimirum dominus iurisdictionis bassae dominum iurisdictionis altae toties requirere debeat, quoties subiectum suae iurisdictioni inferiori reum citare, vel casum, ad iurisdictionem bassam pertinentem, exercere velit. Clarum itaque, atque manifestum est, allegatum textum tantummodo de hoc casu loqui, quando praefectus quidam aliquem citat, qui neque iurisdictioni suae altae, neque bassae subest, sed utroque vinculo ad tertium pertinet. Quam interpretationem quilibet, qui status nostri Saxonici Electoralis, & nexus, qui praefecturas Electorales inter, & nobiles amtsassios quondam intercessit, & adhuc intercedit, non plane ignarus est, liberrime approbabit. Quondam enim praefecti Electorales, hac ex ratione, quia nimirum iurisdictionem nomine Principis exercerent, contra nobiles amtsassios hanc praerogatiuam sibi arrogabant, ut subditos amtsassiorum immediate, & absque horum requisitione, ad se citarent. Resistentibus vero hisce praefectorum conatibus amtsassii, & de illis coram Serenissimo Electore querentibus, annuit hic iustis eorum querelis, & conditoribus ordinationis Proc. Elect. recogn. mandauit, ut hoc §pho vsurpationibus praefectorum colophonem ponant.

## §. VIII.

*Argumentum  
trum  
refutatur.*

Nunc ad 6tum aduersariorum propugnaculum me conuerto, cuius destructio aequè non erit magni laboris, & quidem eo magis, quo minus concludit, & assertum probat. Concedo enim lubentissime, domi-

no

rio hereditario, si alias obseruantia ita receptum est, notionem primam in criminalibus, sed saltem tandiu permitti, quamdiu iudex superior ad inquisitionem, vel examen rei, & testium, *zur Vernehmung*, peruenire non potest, vel ipse ad inquisitionem non festinat. Quando vero hic statim a manifestatione delicti, ad iurisdictionem superiorem pertinentis, iudicem inferiorem praeuenit; eo ipso omnem huic alias competentem notionem primam tollit, & hunc a cognitione plane excludit. Sed posito, minime vero concesso, notionem primam iudici inferiori neque per praeuentionem, neque vlllo alio modo auferri posse, quid per hoc aduersarii obtinebunt? Nihil omnino. Requisitio enim cum notione prima nullum plane habet nexum, nec haec iudicem superiorem obligare potest, vt in casibus criminalibus dominum hereditarium requiratur. An pertinent omnes expeditiones, domino iurisdictionis altae obuientes, ad notionem primam? & potestne nihil omnino peragere, circa quod iudex inferior prius suam non exerceat notionem primam? Foret haec profecto mira iurdictio criminalis, & tantum confusum chaos, ex quo mille lites inter vtrosque iudices, atque aliae inconuenientiae omnibus plane numeris maiores prono quasi alueo essent propullulaturae.

## §. IX.

Restat vltimum argumentum, ad cuius refutationem manum iam iam admoveo. Quemadmodum vero illud omni pene responsione inferius est; ita, in illo remouendo, non diu haerebimus. Quicumque enim dominum iurisdictionis altae ab immediata citatione

*Argumentum remouetur.*

C

tatione

tatione, & exactiōe iuramenti promissorii excludere vult, fundat se in iure negatiuo. Iam vero inter omnes constat, possessionem iuris negatiui aliter non acquiri, quam si acquires prohibitionem ex sua, & acquiescentiam, intermissionemque ex parte prohibiti per praescriptum tempus probauerit. Simplex praetermissio huius exactiōis, etiamsi occasio ad hanc adfuerit, domino hereditario nullum plane ius gignit. Postulatio enim iuramenti, vel promissionis stipulatae est res merae facultatis, & liberi arbitrii iudicis criminalis, cuiusmodi res, id quod vel dupondiis cognitum est, praescriptioni nequidem immemoriali subsunt, sed ius prohibendi eiusmodi actus eodem, quo diximus, modo acquirendum est.

## §. X.

His omnibus adhuc nonnullas superaddimus meditationes, quae thesin nostram defensam, prout speramus, ex asse euincunt. Contraria enim opinio non solum maximas in republica excitatura esset turbas, sed pugnat etiam contra auctoritatem, & interesse summi Principis, nec non contra bonum publicum, & securitatem publicam, in qua tamen summa status ratio, atque felicitas consistit. Sunt enim casus criminales plerumque repentini, atque celerrimae expeditionis, nec ullam, nisi periculum exinde timere velis, patiuntur moram. Quae circumstantiae iurisdictioni altae hanc naturam dant, atque indolem, vt exercitium eius requisitionem iudicis inferioris plane & per se respuat. Quando enim e. g. homicida, fur, vel alius delinquens, qui plerumque ad fugam, vel ad latebras properat, ad carce-

carceres trahendus est, hoc vero non prius, quam praevia requisitione iudicis inferioris fieri deberet, delinquens libere, & absque villo impedimento, metuque apprehensionis elapsurus, & ita iustitiam elusoriam redditurus esset. Concurrit insuper casus, vt delinquens resistat, & ad vincendum capiendumque eum subditorum assistentia opus sit, vel ad fugam se conuertat, ideoque persequendus sit, vel vt tota furum aliorumque latronum societas deprehendenda sit, nemo fortasse sanae compos rationis statuet, iudicem inferiorem, antequam ad vllum deueniatur actum, requirendum esse, vt subditos suos, in praedictis casibus, manus admouere iubeat. Nonne hoc modo iudex criminalis in celerrime quidem administrando expediendoque officio suo impediretur quam maxime? Nonne, assumptis contrariis principiis, omnibus delinquentibus aditus ad fugam, atque occasio subtrahendi se manibus iustitiae, patefieret, & qua vlla ratione, quando iudex inferior subditos ad sequelam sistere detrectat, iustitiae satisfieri, & publica securitas, primus & vltimus bene compositae reipublicae finis, obtineri poterit? Praeterea, quo iure & fundamento iudici hereditario praerogatiua haec insignis, vt iudex superior eum de venia, officium suum exercendi, longisadire debeat precibus, competat, (ingenue fateor,) plane non perspicio. Quum enim, vti notorium est, iurisdictio alta pars & effectus sit insignis illius, & summe priuilegiati banni regii, quod olim priuatiue ad regalia, & reseruata Imperatorum, vel Regum Germanicorum pertinebat, sequitur luculentissime, iurisdictionem bas-

fam superiori per omnia cedere, priorique subiectos ad arbitrariam, & quidem immediatam citationem, ad ferendum auxilium promtos paratosque esse oportere. Porro: estne Princeps fons, & origo omnis iurisdictionis in quacumque republica? habentne & iudex superior, & inferior, ambo iurisdictionem ex suo beneficio? Quisnam vero tam perfrictae erit frontis, vt credat non solum, sed etiam manibus pedibusque defendat, Principem, quando alicui iurisdictionem basam in pago quodam confert, altam vero suae referuat praefecturae, hanc ita infirmare voluisse, vt iurisdictionem suam superiorem aliter non, nisi sub praesidio quasi, & auctoritate iudicis inferioris exercere queat, ideoque hunc de permissione exercitii prius flagitare oporteat.

## § XI.

His deductis, adulamur nobis, quoslibet cordatos lectores, iustosque rerum censors, a nostris staturos esse partibus, praepimis, quum Dicasteria, & ICTi magni nominis iamiam nobis sint a latere. LAUTERBACHIVS enim *Colleg. Pract. Lib. II. Tit. 4. §. 29.* & COCCIVS *de concursu plurium Iurisdictionum in eodem loco §. 28.* & tandem CARPZOVIVS *in Prax. Crim. Part. III. Quaest. 109. n. 80.* & cum hoc Illustris, qui Lipsiae praecellit, Scabinatus nostram fouere, & ni per omnia fallor, adhuc fouent sententiam. Quid? quod ipsa Suprema Curia Lipsiensis, teste CARPZOVIO in allegato loco, thesi nostrae quondam assensit, eamque per iudicata confirmavit, vt adeo eo magis mirandum sit, quod Illustre hoc Collegium antecessorum suorum partes deseruerit, & ad

ad castra aliena transferit. Abiit tamen a nobis quam longissime, vt de Excellentissimi huius Iudicii rationibus puniendi omnino procacitate iudicemus, quippe qui ad hoc plane non sufficimus, vt potius partium contrariarum, quibus huc vsque fauit, omni, qua decet, obseruantia, atque deueneratione meminerimus. Tandem vero soluit hunc nodum Gordium Potentissimus Rex noster, atque Elector, & peremit totam litem, quippe qui in adiunctis sub A. & B., quae cum nouissima, & prout opinor, nondum in omnium manibus sint, cum Lectoribus meis communicare, non deesse potui, nostram approbavit sententiam.

§. XII.

En! tantum, Beneuole Lector, Ignoscas & ingenii pusillitati, & laboribus nostris tam officialibus, quam practicis, qui nobis tempus ad meliora elaboranda subtraxerunt, si Tibi per omnia non satisfecimus. Toleras has nostras primitias, nec censoria seueritate trucidas. Sic enim stimulum addes conatibus nostris, vt, si DEVS Optimus Maximus & vitam, & vires, & otium dabit, fortasse aliquando lucubratiunculas nostras, forma elegantiore, Tuo subiciamus iudicio. Quod restat: Vale, resque Tuas semper feliciter age.



## A.

*Rescriptum Regio Electorale ad Curiam Supremam Lipsiensem, in causa Senatus Lipsiensis, contra Praefatam Delitenssem, de dato Dresdae d. 29. Nou. 1747.*

**Von Gottes Gnaden Friedrich August König 1c.  
und Churfürst 1c.**

1c. 1c. Uns ist euer wegen derer zwischen dem Amte Delitisch, und dem Rathe zu Leipzig, des Exercitii derer besagtem Amte im Dorffe Lehelitz zustehenden Ober-Gerichte, sich ereigneten Differentien am 17ten Mart c. a. erstatteter unterthänigster Bericht geziemend vorgetragen worden. Aller massen wir aber nicht abzusehen vermögen, wie einem Ober-Richter die Macht in Ober-Gerichts-Fällen die unter ihm gefessene Erb-Gerichts Unterthanen, unmittelbar, und ohne Requisition des Erb-Richters vor sich zu laden, in Zweifel gezogen werden könne, da die Ober-Gerichtsbarkeit ihm eben die Gewalt in causis criminalibus über die Unterthanen giebt, als der Erb-Gerichts-Herr in causis ciuilibus über solche hat, und derselbe besagte Unterthanen in Ober-Gerichts-Fällen ohne Requisition so gar arretiren, und wider sie verfahren kan, auch die Inquisitiones weder mit erforderlicher Verschwiegenheit würden tractiret, noch behändig beschleuniget werden können, daferne dem Ober-Richter solcher Gestalt die Hände gebunden, und derselbe gleichsam des Unter-Richters Ermessen, ob er die nöthig erachtete Vorladung statt finden lassen wolle, anheim zu geben, gehalten seyn sollte; Der von dem Rathe zu Leipzig angezogene §. 9. Tit. II. der Erl. Proc. Ordn. hingegen allhier um deswillen nicht applicabile, weil solcher bloß vom Civil-Proceß



teß handelst, und auf Casus criminales, oder Inquisitiones keinesweges zu erstrecken ist; Also kan euch auch, welcher Gestalt sowohl bey Unserer Landes-Regierung, als bey dem Appellation-Gerichte die Causae stupri simplicis, ausser dem Fall, wenn die Vollziehung der Ehe darauf erfolgt, vor geraumer Zeit zu denen Ober-Gerichten gerechnet, und der Ober-Richter bey der Cognition geschüget worden, um so weniger unbekannt seyn, nachdem Wir euch, was wir Unserer Landes-Regierung, wegen Beobachtung der bisherigen Observanz, hierunter anbefohlen, mittelst Rescripti vom 16ten Dec. 1739. zufertigen lassen. Wir begehren demnach gnädigst, ihr wollet in gegenwärtiger Sache mit fernern Verfahren anstehen, und den Rath mit seinem Suchen abweisen, auch, da es hierinnen nicht sowohl auf des Beamten Verfahren, als auf Unsers Amtes Iura angekommen, fürhin dasjenige, was in dem Generali vom 7ten Junii 1736. wegen derer Cammer-Sachen vorgeschrieben, gebührend beobachten: Daran ic. Und Wir ic. Geben zu Dresden am 29ten Nou. 1747.

## B.

*Rescriptum Regio Electoralis alterum ad Curiam Supremam Lipsiensem, in causa D. Christiani Gregorii Alneri, contra Christianam Claram Glafciam, super casu nostro controverso de dato Dresdae d. 10. Ian. 1748.*

Von Gottes Gnaden Friedrich August,  
König ic. und Churfürst ic.

Wir haben aus beygehenden von euch an Unsere Landes-Regierung, und von dieser an Uns, zu unserm Geheimen Consilio, eingesendeten Actis ersehen, welcher gestalt ihr, auf die von dem Ober-Hof-Gerichts und Consistorial-Affessore, D. Christian

Stan Gregorio Altmern, wieder Christianen Claren Glasewitz,  
 und ihren Gerichts-Verwalter, Johann Gottfried Haupten, we-  
 gen vermeintlicher Turbation seiner Erb-Gerichte zu Stötteritz,  
 angebrachte Klage, nach vorher ertheilten Monitorio, und ange-  
 stellten Verhör, eine Poenal-Inhibition decreiret, und wie Be-  
 klage gegen deren Insinuation an Uns appelliret. Nachdem  
 Wir aber das von euch hierbey gedaußerte, und zum Grund der  
 resoluirten Inhibition gelegte Principium: als ob ein Ober-  
 Richter niemahls einiges Angelbbniß des ihm, in Ansehung der  
 Ober-Gerichte, schuldigen Gehorsams, von fremden Erb-Ge-  
 richts Unterthanen fordern, noch, ehe diese etwas verbrochen, ih-  
 renthalben etwas anordnen, noch auch, ohne vorherige Requisi-  
 tion des Erb-Richters selbige vor sich citiren könne, keinesweges  
 approbiren mögen, und euch deshalber Unsere Willens-Mey-  
 nung bereits unterm 29ten Nouemb. praet. anni in Sachen des  
 Naths zu Leipzig, contra das Amt Delitzsch, das Exercitium der  
 Ober-Gerichte im Dorffe Lebelitz, betreffend, bekannt ge-  
 macht; So begehren Wir gnädigst, ihr wollet nicht allein mit  
 Ausfertigung angeregter Poenal-Inhibition anstehen, sondern  
 auch Klägern mit seinem Suchen abweisen. Hieran geschieht ic,  
 Und Wir ic. Geben zum Dresden am 10den Januar. Anno  
 1748.




Erfurt, Diss., 1748-51

X 2387035







Farbkarte #13

B.I.G.

DISSERTATIO INAVGVRALIS IVRIDICA

S. A. 10  
1749, 3

DE  
**IVRE DOMINI IVRISDICTIONIS  
ALTAE, SVBDITOS DOMINI IVRIS-  
DICTIONIS BASSAE IMMEDIATE, ET SINE HV-  
IVS REQUISITIONE, AD PRAESTANDVM IVRAMEN-  
TVM FIDELITATIS PROMISSORIVM, SEV PROMISSIO-  
NEM FIDELITATIS ET OBEDIENTIAE STIPVLATAM, NEC  
NON AD OMNES IN CAVSIS CRIMINALIBVS OB-  
VENIENTES ACTVS CITANDI**

18

GERMANICE  
Von dem Befugntz des Ober-Gerichts-Herrns, die Unterthanen des Erb-  
Gerichts-Herrns, ohne desselben Requisition zu Leistung des Huldigungs-  
Eydes, oder Handschlages, sowohl auch zu allen bey Ober-Gerichts Fällen  
vorfalkenden Verrichtungen vorzuladen, und die erstern von ihnen  
abzunehmen,

P. 431

OVAM  
CONSENSV ET AVCTORITATE  
**MAGNIFICI ICTORVM ORDINIS**  
IN ACADEMIA ELECTORALI ERFORDIENSI  
PRAESIDE

**DN. HIERONYMO FRIDERICO  
SCHORCHIO, ICTO,**

SAC. PAL. CAES. COMITE, IVR. FAC. ASSESS. ET H. T. DECANO, IVR. PVBL.  
PROF. ORDIN. NEC NON CIVITATIS CONSULE SENIORE,  
PRO SVMMIS IN VTROVQUE IVRE HONORIBVS  
ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS



RITE CONSEQVENDIS  
DIE X. FEBR. MDCCXLIX. H. L. Q. C.  
PVBLICAE ERVDITORVM DISQVISITIONI SVMMITTE  
AVCTOR

**GEORGIVS GODOFREDVS THYMEVS,**

BEICHLINGO. THVRINGVS,  
ADV. ELECT. SAXON. IMMATR. ET DYNASTIAE GROBITIENSI PRAEFECTVS,  
NEC NON ADMINISTRATOR IVSTITIAE IN GROSEN IENA.

ERFORDIAE, Typis I. C. HERINGII, ACAD. TYPOGR.

ZU WALLE